

I. N. J. C. A.  
DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE  
RESURRECTIONE  
MORTUORUM &  
EJUS CAUSIS

QUAM  
SUB PRÆSIDIO  
*Admodum Reverendi, Amplissimi & Excellentissimi*  
DN. JOHANNIS SCHARFFII  
S.S. Theol. D. ejusdemq̄, P. P. Clarissimi,  
Collegii Senioris dignissimi & Templi Præ-  
positi meritissimi

Dn. Præceptoris ac Patroni sui jugiter  
honorandi

MENSE MAJO  
Publicè defendere conabitur

M. HENRICUS KIPPING Rostochiensis,  
S.S. Theologiæ Studiosus.

WITTEBERGÆ.  
Typis JOHANNIS BORCKARDTI, Anno M DC LV.

Coll. diss. A  
215, 46

*Diss. A. 215 (46)*

*L. V. M. S. H.*

ADMODUM REVERENDO, AMPLISSIMO ET EX-  
CELLENTISSIMO

DN. DANIELI LUDEMANNO  
SS. THEOL. D. CONSISTORIALI REGIO, PA-  
STORI AD D. PETRI PRIMARIO ET SUPERIN-  
TENDENTI BREMENSI DIGNISSIMO, PA-  
TRONO SUO VENERANDO AC HO-  
SPITI LONGE BENEFICENTIS-  
SIMO.

IN

Academiâ Wittebergensi

D. D. C.

M. HENRICUS KIPPING.



DE RESURRECTIONE  
MORTUORUM EJUSQ; CAUSIS.

I.  
**S**alubre monitum est Ben-Sy-  
rach: In omni opere tuo recordare novissimo-  
rum & in æternum non peccabis, cap. VII. 38.  
Novissimorum primum Mors est, ultima linea rerum ve-  
rita in Paganismo altiori, verum Christianis vitæ melio-  
ris origo credita meritò, Johan. XI. 25. 26.

II.  
Expectamus enim Resurrectionem carnis in adventu  
Christi Judicis, Rom. VIII. 11. Neq; vexet nos triste effa-  
tum Catulli poetæ: *Soles occidere & redire possunt:  
Nobis cum semel occidit brevis lux:  
Nox est perpetuò una dormienda.*

III.  
Longè verius & disertius Esaias: Revivifcent mortuū  
tui & cum corporibus suis resurgent, expergiscimini &  
cantate שכני עפר qui inhabitatis pulverem, nam ros tuus  
est ros campi virentis, cap. XXVI. 19. Sed articulus hic fi-  
dei est, non etiam rationis foetus, Augustinus de Trini-  
tate, Lib. XIII. 9.

IV.  
Julius Pacius & Nicolaus Taurellus fervidè conten-  
dunt, Resurrectionem mortuorum è rationis dictamine  
irrevincibiliter colligi & demonstrari posse, adeoq; à zo-  
roastre, Theopompo, Platone, Senecâ & sanioribus Gen-  
tilismi Doctoribus cæteris agnitam esse, multis homum  
testimoniis probari posse confidunt.

A 2

V. Sed

## V.

Sed adducamus eos in Areopagum, nec non ad tribunal Romani prætoris. Utrobiq; Paulus falsè compellatur, τίαν θέλει ὁ σπερμολόγος ἔτος λέγειν? itemq;: μαίνη παῦλε, Actor. XVII. 18. 20. 32. XXVI. 24. Nimirum de Resurrectionis operelis erat. Quia enim animas crudeliter interficiebant potissimi in Gentilium fece, Resurrectionem quomodò tuerentur? Imo non tuerentur, sed rident manifestè cum Plinio lib. II. 7. & Cæcilio Philosopho apud Minucium in Octavio.

## VI.

*Esse aliquid Manes & subterranea regna, Nec pueri credunt,* ajunt Dicearchus, Lucretius, Juvenalis, Galenus, Averrhòes. Et quod Paulus ipse: Gentiles non habent spem Resurrectionis, 1. Thessal. IV. 13. Hoc est, quod Spartiano teste dicebat Hadrianus Cæsar:  
Animula vagula, blandula, Hospes comesq; corporis,  
Quæ nunc abibis in loca, Pallidula, rigida, solida?  
Nec ut soles dabis jocos.

## VII.

Quamquam non omnium idem sensus erat. Tertullianus alicubi: *Ut carnis Resurrectio negetur, de unâ omnium Philosophorum schola sumitur.* Erat turba sapientum, qui animas servabant & pœnis præmiifve in Tartaro campisq; Elysiis destinabant, in idem ἰὼν ψυχῶν διαμονὴν multis confirmant Plato, Homerus, Virgilius, Ovidius, Cicero, Lucanus, Tibullus, Claudianus, Porphyrius, Jamblichus.

## VIII.

Hoc sensu Propertius: *sunt aliquid manes, letum non omnia finit.* Attamen Carnis reductionem in integrum non perinde noverant. Itaq; Horatius conqueritur:

*Serius, ocijus fors exitura,  
Et nos in æternum,  
Exilium, impositura cymba.*

Anima-

Animarum permanentiam equidem non inficiatur,  
sed eam corpori reddendam esse, nesciebat.

IX.

Argumentetur nunc *Pacius*: Anima semper appetit  
unionem cum corpore suo, neq; hoc desiderium, quod  
ei naturale est, frustra est: frustra verò esset, nisi vel tan-  
dem expleretur. *Sic ille*, desiderium naturale in animâ se-  
paratâ ad corpus suum, velut dubio carens, supponens.

X.

Atqui hoc negaverit *Seneca*: *Corpus hoc animi pondus  
ac pœna est, quod equidem non aliter aspicio quàm vincu-  
lum libertati meae circumdatum*, Epist. 65. Respondebit igi-  
tur, quod anima per separationem à corpore ad summum  
felicitatis gradum propius accesserit, adeoq; Mentibus  
ætheriis similior evaserit.

XI.

Proinde tollet appetitum, id quod porrò constat in-  
de quoq;: Docebant in negotio Circulationis animarum,  
oportere animas separatas Lethæo poculo externari &  
priorum gestorum oblivionem conciliari, alioquin non  
redituras eas in corpora mortalium fatis obnoxia.

XII.

Virgilius inducit Anchisen talia dicentem:

*Anima, quibus altera fato  
Corpora debentur, Lethæi ad fluminis undam Securos la-  
tices & longa obliviam potant. Et paulò post:  
Has omnes, ubi mille rotam volvere per annos  
Lethæum ad fluvium Deus evocat agmine magno,  
Scilicet, immemores supera ut convexa revisant  
Rursus & incipiant in corpora velle reverti.*

XIII.

Proferuntur zoroastris Oracula: verum nisi illa fue-  
rint *ὁποβολιμαία*, detur eum seculis Noëticiis proximum  
scholas

scholas patrum hæcenus frequentatas retinuisse. Idem  
judicandum erit de reliquis, si quippjam deinceps in secu-  
to ævo tale forte occurrerit: Animarum permanentiam  
astruunt multi & ipsarum in locis ὑποχθονίαις consisten-  
tiam, sed reductionem ἐκ τῆς αἰδᾶς nemo scivit, nemo e-  
docuit.

#### XIV.

Quod de Platonis & Theopompi dictatis adfertur,  
omnino τὴν μετεμψυχώσιν attinet, à Pherecyde, Empedo-  
cle & Pythagorâ nuper in Græcorum ludos literarios il-  
latam. De Pythagorâ sic fatur Architas Tarentinus a-  
pud Horatium:

*Habentq; Tartara Pantoiden iterum orco demissum.*

Notant idem Cicero in Tusculanis, Laërtius in vitis,  
Scholiastes Apollonii in Argonauticis. Isti verò, quos  
dixi, sapientes, peregrinati longius apud Ægyptios, Chal-  
dæos, Indos tale quid hauserant, uti Solinus, Strabo,  
Macrobius de gentibus illis prodiderunt.

#### XV.

Adducitur Seneca locus: Mors interrumpit vitam,  
non eripit, veniet dies, qui nos in lucem reponet, Epist.  
XXXVI. Nihil aliud ille quàm Plato & omnis Stoico-  
rum coetus profitetur. Nempe per מלכות נפשית ani-  
mas reversuras in hoc seculum: Neq; enim vel ipsi Stoici  
animarum immortalitatem sincerè credebant, tantum  
abest, ut τῶν νεκρῶν ἀνάστασιν scirent.

#### XVI.

Hinc alibi Seneca de stagnis Lethæo igne flagrantibus:  
Luserunt ista Poëtæ & vanis nos agitavère terroribus:  
Mors omnium dolorum finis est, ultrà quam non exeunt  
mala nostra, quæ nos in illam tranquillitatem, ubi era-  
mus, antequam nasceremur, reponit. Sic ille, pendens  
animi, quia luce verbi sacri destitutus, omninò dubius  
esse

esse potuit, *an Spiritus hominis sursum adscenderet*, Eccle. III. 21. Confer Socratem in Phædone Platonis, & Antonium in Catone Majore Ciceronis. Ubiq; languidus assensus constat.

### XVII.

Occasione Græcæ literaturæ sub tempora Hasamonæorum irreperunt ista opinionum monstra in scholas Hebræorum, & quemadmodum Saducæi ab Epicureis petiverunt animarum interitum, ità Pharisei à Platonicis & Soicis acceperunt animarum μετακυλίσεις.

### XVIII.

De Essenis Josephus, & primò quidem de bonorum Animis: ταῖς μὲν ἀγαθαῖς, ἐμοδοξῶντες πασιν ἑλλήνων, ὡς φαίνονται τὴν ὑπερὶ ὠκεανὸν διάιταν ἀποκεῖσθαι, καὶ χῶρον ἕτε ὄμβροισ ἕτε νιφετοῖς ἕτε καύμασι βαρυνομενον, ἀλλ' εἴ ἐξ ὠκεανῶ πρὸς αἰεὶ ζῆφυρος ὑπερπνέων ἀναψύχει.

### XIX.

Et pergens de infelicium sedibus: ταῖς δὲ φαῦλαις σφώδη καὶ χειμάρριον ἀφορίζονται μύχον, γέμοντα τιμωριῶν ἀδιαλείπτων. Subjicit, ista Græcorum placitis convenire, qui apud inferos supplicia luentes collocent σισύφους καὶ ταντάλους καὶ ἰξιώνας καὶ τιτυῆς.

### XX.

Ab his verò ità dissentiebant Pharisei, ut cum Orpheo, Pherecide, Pythagorâ, Platone, Empedocle famosum illud de Volutatione Animarum per corpora brutorum, atq; indidem reductione in aliorum hominum corpora, tuerentur, eodem Josepho teste. Idq; portentum dogmatis inter Cabalistarum secreta deinceps retulerunt R. Maymonides, Don Abravaniel, Isaac de Loriâ, & R. Menasseh in Conciliatore & libris de Resurrectione Mortuorum. Retinent hodiernum Brachmanes. Hoxiones, Trusci Indorum populi, testibus Ferdinando

nando

nando Mendefio, Hugone Linschottano, Petro Maffejo.

**XXI.**

De Metempsychosi debet illud etiam capi, quod Ariovistus & Germani apud Appianum libro de bellis Gallicis dicuntur esse *θανάτης καταφρονηταὶ δι' ἐλπίδα ἀναβιωσέως*. Vix enim hæc de Resurrectione corporis, uti ex sacris docetur, capere licet: Druydes verò Gallorum Magistros ejusdem cum Bardis Germanorum sensus, animarum volutationem docuisse, retulit Julius Cæsar.

**XXII.**

Rabbinus Menasseh ex sacris probare conatur itaq; adfert locum Jobi, XXXIII. 29. quem & Maymonides citat: itemq; Chaldæum Interpretem, qui ad Esaiaë XXI. 14. meminit *מִתּוֹת תְּנִינֹת* *mortis secunda*. Verum Jobi locus inspectus ultrò cedit. Oncelosità vocat æternam impiorum mortem, quæ est animæ, & *secunda* dicitur, quia *prior* in terris gratiæ defectum adfert, *posterior* gloriæ carentiam addat. Loca paria sunt Apocal. II. II. XX. 6. 14. XXI. 8.

**XXIII.**

Saducæi & eorum pars incivilior, Herodiani, Epicureorum more animas hominum trucidabant, præsentisq; vitæ bonis metiebantur omnia, Actor. XXI. 8. Josephus: *οἱ σαδουκαῖοι τὴν διαμονὴν ψυχῆς καὶ τὰς καθ' αἶδαν τιμωρίας καὶ τιμὰς ἀναμῆσαι*. Quibus contentionibus Magister veritatis Christus decisionem apertam attulit Lucæ XVI. 22. seqq.

**XXIV.**

Peculiariter quoq; Saducæos refellit, desumpto argumento ex Mose ipso, Matth. XXI. 23. seqq. An ideò, *quod illi Mosen unicum agnoscerent ἀξιόπιστον, rejectis libris cæteris?* Ità putant Tertullianus, Origenes. Hieronymus

nymus



nymus, & defendunt Serarius in Trihæresio, Bonfrerius  
in Præloquiis, Sixtus Senensis in Bibliothecâ.

**XXV.**

Castigant verò Scaliger, Drusius, Salmasius, & Jo-  
sephi testimonio atq; rationibus aliis convincunt, Sadu-  
cæos πάντα γεγραμμένα recepisse, tantum παρὰ τὰ ραδιῶς  
δευτερώσας repudiasse, quas Pharisei præ ipsâ ad eò lege  
scriptâ devotè nimis amplectebantur, Matth. XV. 6.

**XXVI.**

Nec minus ipso facto Christus excitavit plurimos,  
Marci V. 41. Lucae VII. 15. Johan. XI. 43. 44. Quod i-  
dem Dei permisso in Vet. Test. sub umbrarum caligine  
facere potuisse Prophetas, constat Elia & Elisæi gestis, 1.  
Reg. XVII. 22. 2. Reg. IV. 34. 35. XXIII. 21. sed & in  
testimonium doctrinæ Christi assertivum licebat Aposto-  
lis, Actor. IX. 40, XX. 9. seq.

**XXVII.**

De tanto Christianæ Religionis & Fidei reservato,  
ut distinctè porrò commentemur, Resurrectionis Cau-  
sas & Consequentia meditabimur. *Causæ* quatuor sunt,  
*Consequentia* duo.

**XXVIII.**

*Efficiens* est Deus Ezech. XXXVII. 12. Rom. VIII. 11.  
17. 1. Cor. VI. 14. 2. Cor. I. 9. IV. 14. 1. Thessal. IV. 14.  
Proinde & Christus, uti disertè dicitur Jobi XIX. 25. Joh.  
VI. 39. 40. Quippe qui verus Deus est, id quod temerè  
negant Sociniani. Sed & Christus non tantum ut Deus, ve-  
rum ut homo divinarum ἐνεργειῶν compos, Johan. V. 51. 54.  
VI. 39. 56. Id quod perperam negant Sohnjus, Sadaël,  
Nahum, & cæteri ad impias Calvinii aras mystæ.

**XXIX.**

Nos pergimus: Christi Resurrectio est nostræ Re-  
surrectionis causa meritoria. Luculenter ista Paulus ad-  
struit, 1. Cor. XV. 12. seq. Et de Resurrectionis priorum

B

á Re-

à Resurrectione Christi dependentiâ apud Evangelicos non dubitatur.

XXX.

Tantum de Resurrectione Impiorum liticula fervet: Sitne illius Resurrectio Christi, vel potius Justitia Dei effectiva, cujus regula immota est, πάντας ἡμᾶς φανερώ- θήνας δεῖ ἡμᾶς εὐθεῖν ἢ ἑμᾶς τῆ χειρῶν? Posterius Balduino, Hunnio, Gerharo, Marefio, Riveto, Maccovio placet: sed prius Calvino, Bucano, Polano, Brochmanno, Boëtho. Sed quid eâ de re statuendum sit in actu disputationis disquiremus.

XXXI.

Quæ de mortuis à Demone resuscitatis occurrunt, præstigiæ sunt: cadaver insedit tantisper Genius malus, agitavitq; unione sui præsentissimâ, ut eò luculentius imponeret cultoribus scholæ Infernalis, 1. Thess. II. 10. Apollonium Thyaneum multos nuper defunctos ab inferis reproduxisse, scribit Philostratus. Meminit quoq; Apuleius, & de Simone Mago non nihil tale fabulatur Nicephorus Callistus:

XXXII.

Poëtarum νεκρῶν passim notæ sunt. Tibullus:

*Finditq; solum, manesq; sepulchris*

*Elicit, & tepido devocat ossa rogo.*

Virgilius de Mœri:

*Sepè animas imis excire sepulchris.*

Horatii Canidia ferociter:

*Possum crematos excitare mortuos.*

XXXIII.

Specimen prætereâ habes apud Plinium & Lucanum in Pharsalicis, ubi de Gabieno Cæsaris milite narrant, quem Pompejus acie captum securi percusserat, sagæq; Erisichtus incantamentis trucibus usus deinceps in vitam revocare eundem tentabat, ut Oraculum de belli eventu caperet infelix νεκρομαντής. Citha-

**XXXIV.**

Citharistria Bononiensis *Φάντασμα* redivivum notant Melanchthon & Peucerus. Horribile tamen præcæteris est, quod Petrus Dalheimius Veneticus Lotharingus in proprio Filio passus est, Remigius in Dæmonolatriâ.

**XXXV.**

Dices, *Samuel Vates reducitur ope Demonis ad luminis hujus auras*, 1. Sam. XXVIII. 12. Ità censent Sanctius, Mendoza, Tirinus, Menochius comm. ibid. Villalpandus, Delrio, Bodinus, Bellarminus, Jansenius, Salianus, Maldonatus, Thyraeus, Peltanus, Serarius, freti loco Syrachidis: *post mortem Samuel prophetauit*, cap. XLVI. 23.

**XXXVI.**

Et Bodinus peculiariter urget, quod ille Saulis allocutor diserte usurpat nomen *ἀνεκφώνητον* אֲנֶכְפֹּנֶהֶת id quod Satanæ facere, ut quidem videtur, non licet, 1. Sam. XXVIII. 16. 17. 18. 19.

**XXXVII.**

Verum Sagæ Saulisq; lusum agnoscunt hîc in eâdem scholâ Commentatores & Doctores celebres, Tiraquelus, Dietenbergius, Chöppinus, Remigius, Lojerus, secuti Patres, Tertullianum, Chrysostrum, Procopium, Eucherium, Isidorum. Nec aliter R. David Kimhi, Joh. Wierus, Lavaterus, Marbachius.

**XXXVIII.**

Res constat, dum præmunit hanc relationem scriptor facer: consuluit Saulus Dominum, sed non respondebat ei Dominus, nec per somnia, nec per Urim, nec Prophetas, 1. Sam. XXVIII. 8.

**XXXIX.**

Non igitur Samuelis Manes erant, sed Diabolus, Prophetæ speciem extrinsecus mentitus apparuit. Ni-

mirum Saulus instanti propè fatoangebatur, & in pænam delictorum à Deo spernebatur. Hoc est, quod Græci dicunt *εὐκαταστήσειν*, evocare manes & de futuris eventis consulere: vetat Deus in Lege Mosis, & Esai. VIII. 19, LXV. 4. Saulo quoq; capite constitit, 1. Sam. XXXI. 4. 5. 1. Chron. X. 13. 14.

XL.

Syrachides *αὐτοκτενεῖ* est nihilq; obtinet, cum quippe synagogæ jam tum degenerantis opiniones seduxerunt. Idq; satis constat, dum fabulis de Eliâ redituro fidem adhibet cap. XLVIII. 10. 11. 12, Ubi consule Grotium in Notatis.

XLI.

Ratio Bodini est debilis. Quasi enim spiritus Infernalis non etiã alibi adhiberet proprium Dei nomen, locutus per sortilegos. Vide historiam Achabi Regum improbißimi & Magorum Patroni, 1. Reg. XXII. 11. 12. 21. 22. 23. 24.

XLII.

*Materia* sunt omnes homines quotquot vitalem auram in hoc mundo expleverunt, sive pii illi fuerint, sive impii, & quocunq; mortis genere in quocunq; loco decesserint, 2. Cor. V. 10. Apocal. XX. 13

XLIII.

Error fidei adversus est, quod Socinus, Smalcius, Waydovius, Samofateniani hæretici de Impiis affirmant, eos in perpetuo Mortis statu permanuros esse. Id quoq; R. Maymonides, D. Kim hi, Saadias Gahon, & Cabalistsæ docent, sed reclamationem in eadem scholâ R. Menassch. Literæ sacræ nobiscum pronunciant, Daniel. XII. 2. Johan. V. 28. 29. 2. Cor. V. 10. Actor. XXIV. 15. quicquid picis Smalcius adspargat.

XLIV.

*Forma* est redintegratio Compositi, ut sit idem numero

mero homo, qui olim in terris obiverat vitam, eodem numero corpore ad eandem animam ejusdem societatem divinam virtute reconciliato. Qui enim hominem olim ex terrae pulvere condere potuit, omnino eundem ex eodem restaurare potest, ut in nullò deficiat. Huc tendit visum Ezechielis cap. XXXVII. 3. seqq.

XLV.

Neq; enim hic moramur deliria Simonianorum, Basilidianorum, Gnosticorum, Valentinianorum, Cerdonistarum, Severianorum, Carpocratianorum, Seleucianorum, Marcionitarum, Manichæorum, quibuscum Veteres, Ireneus, Tertullianus, Epiphanius, Augustinus, Ambrosius, Theodoretus, Philastrius decertaverunt, alia corpora nobis imponentium, ac hic gesseramus.

XLV'.

Hos deinceps secutus est *Johannes Philoponus* Doctor in Peripato, ut refert Photius. Demum occeperunt impudens dogma Fanatici moderni in Socinistarum, Anabaptistarum, Enthusiastarum, Remonstrantium, Rosæruciariorum scholis, Smalcus, Ostorodus, Volckelius, Crellius, Johan. Mennon, Cyperus, Theodorus Philippi, Theophrastus Paracelsus, David Georgius, Wegelius, Episcopi, Felgenhaverus, Vorstius, Grotius. Quibus adde Reformatum Magistrum Goclenium & ἰδὲ τῶν Taurellum.

XLV I.

Nos illud Jobi opponimus: **HAC** pelle meam circumdabor & in carne mea videbo Deum, YIY. 26. Scilicet demonstrativè pellem **SUAM** manibus suis carpendo, quomodò Paulus etiã: Oportet ut **HOC** corruptibile induat incorruptibile 1. Cor. XV. 53.

XLVII.

In eum finem Ecclesiæ Africanæ olim, teste Ruffino, recitabant Apostolicum symbolum ἐμφατικῶς τῶς :

B 3

Credo

**Credo Resurrectionem carnis HUIUS.** Quas verò ad citatum Jobi locum officias Enjedinus, Ochinus, Mercurus, Vatablus, Vorstius, Grotius, in favorem Apellarum annotaverunt, securè cum Hieronymo & Cyrillo Hierosolymitano contemnimus, ac peculiari Dissertatione confutavit Meisnerus.

**XLIX.**

Accedit illud Pauli: Erimus *σύνμορφος* corpori Christi, Philip. III. 21, Sane Christus idem numero corpus ex sepulchro retulit, quod tumulatum fuerat. Quod enim Socinus, Smalcus, Ostorodus, Lubenicus, Crelius hîc etiam obtendunt, Christum exaltatum deposuisse carnem, & spiritum potius quàm hominem corporeum cælis intulisse, furores sunt hominum novam prorsus & ab omni seculo inauditam Theologiam quo jure quave injuriâ confarcinantium. Aliter ipse Christus: Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere, Lucae XXIV. 39.

**L.**

Quâ staturâ futuri sint Resurrectionis filii, in contentionem venit. Sane Augustinus ex Ephes. IV. 13. conatur probare, omnes resurrecturos virili staturâ & ætate. Quem Bandinus & Conimbricenses sequuntur.

**LI.**

Nos censemus, locum Apostolicum figurato sensu exponendum esse: Quod verò infantes quoq; & citrà discrimen staturam quamq; suam retinebunt homines alii, prout illam vitæ hujus curriculo impleverunt, verius longe est, & probatur ex Apocal. XI. 18. XIX. 5. XX. 12.

**LII.**

Nec minus quæritur: An in Resurrectione obtinebit discrimen sexus? Athanasius, Basilus, Hilarius negabant, sexum perstiturum. Quam sententiam deinceps  
acriter

acriter defendit Johannes Scotus in Adversariis contra Thomam Aquinatem.

LIII.

Nimirum, quia sexus fæmineus illi parum naturalis, & cum Aristotele potius *παρὲν βασις τῆς φύσεως* esse censebatur, hinc inferebat, sexum fæmineum oblitteratum iri & virili habitudine omnes mulieres resurrecturas, Mariâ Virgine exceptâ.

LIV.

Idem ipsum relati nuper Sectarii docebant, imprimis Hugo Grotius notis ad Matth. XXII. Vorstium, Achatem suum fidum, secutus. Nos cum Augustino refragamur & imperfectum sexum Aristoteli foras jacimus. Erat enim mulier in Paradiso, cum nihil mancum vel obliquum Natura universa adhuc dum ferebat, Gen. I. 27. 31.

LV.

Et quid privilegiorum Maria sortiatur? Quod cecidit, idem numero quoq; resurget. Atqui cadente muliere, non cecidit Vir. Ergo nec talis resurget. Resurrectio enim est ejus quod cecidit, restaurata erectio.

LVI.

*Finis* est adductio in extremum Judicium, Actor. XVII. 31. Hebr. IX. 27. Atq; tunc, prout meruerunt homines, præmia capient, Psa'm. I. 5. 6.

LVII.

Nam qui benè egerunt, cælestem gloriam sortientur: qui verò malè, illos æterno supplicio afficiet DEUS *παντοκρίτης*, Psalm. CXXV. 5. Matth. XII. 42. 49. XXV. 31. seqq.

LVIII.

Hinc *Consequentium* diversa ratio elucescit, ut alii ad vitam æternam, alii ad opprobrium æternum ex pergiscantur, Daniel. XII. 2.

Por-

**Porphyrus** Bethsaidensis, (uti **Baronius** notat) impietatis **Magister** sedulus & **Juliani** Cæsaris Oraculum, ut agrè faceret **Christianis**, locum istum de statu **Reipublicæ** **Hebræorum** post cæsos **Antiochi** Illustris duces, & reditum publicum **Religionis** **Mosaicæ** exercitium, interpretabatur. Meritò hoc redarguit **Hieronimus**, neq; satis vindicat **Grotius** in **Notis** h.l. Omnino enim de *παλιγγενεσία τῶν πάντων* sonat. Confer loca planissima, 2. **Macab.** VII, 14. **Hebr.** XI. 35.

**Mors** verò æterna, & si impiè hoc statuant **Socinus**, **Smalcus**, **Crellius**, quia **impii** sic optant, non erit mera annihilatio & sola pœna damni, sed pœna sensus acerrima, cuius non erit finis, **Apocal.** XV. 10. 11. XIX. 20.

## SOLI DEO GLORIA,



Coll. di'ss. A. 215, mu'sc. 46